

Fundatur autem in decreto Concilii Florent., ante quod ait Soto potuisse Durandum et Scotum aliud opinari; de Adriano autem miratur, quod illud non legerit. Sed non est verisimile, illud non legisse; sed fortasse tempore Adriani decreta illa Concilii Florentini non erant ita recepta, nec plena auctoritate confirmata, vel certe (quod verisimilius est) non intellexit Concilium hoc definivisse, nam solum refert, Sedem Apostolicam aliquando in hoc dispensasse, non tamen id expresse approbat, neque habet aliquod verbum, quod definitionem indicet, sed obiter tantum historiam attingit. Concil. autem Trident. (quod Ledesma citat) licet definiat, ordinarium ministrum esse Episcopum, nihil tamen de extraordinario tractat, sed rem indefinitam relinquit. Existimo ergo, nondum esse in hoc aliquid de fide, quanquam non negem, Conc. Florent. magnam huic nostræ sententiæ tribuisse auctoritatem, adeo ut temerarium censeam, contrarium velle pertinaciter defendere. De fundamentis autem secundæ sententiæ nihil dicendum occurrit. An vero necessarium sit, simplicem sacerdotem ministrantem hoc sacramentum ex concessione Pontificis, uti chrismate ab Episcopo consecrato, vel in hoc possit etiam cadere dispensatio, diximus supra tractando de materia hujus sacramenti.

## SECTIO III.

Utrum hæreticus Episcopus, vel ab Ecclesia præcisus, seu prohibitus, possit esse minister hujus sacramenti.

4. Ratio dubitandi est, quia nonnulli Pontifices et Patres antiqui interdum significant, sacramentum confirmationis datum ab Episcopo hæretico esse irritum et inane. Ita significat Innocentius I, ep. 48, c. 3; de hæreticis enim loquens ait: *Eis solum baptismum ratum esse permittimus*; et infra: *Nec dare Spiritus Sanctus plenitudinem possunt, quam per impietatis suæ perfidiam perdidierunt*. Similiter Leo P., epist. 35, cap. 2, baptizatum ab hæreticis dicit, non esse rebaptizandum, sed hoc ei esse conferendum, quod ibi defuit, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur; et ep. 77, cap. 7, dicit baptizatos ab hæreticis sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manus esse confirmandos et subdit inferius rationem: *Ut, quod ab hæreticis nemo accipit, a Catholicis sacerdotibus consequatur*.

Ergo ex sententiâ Leonis, confirmationis sacramentum ab hæreticis dari non potest. Et confirmatur, nam ita fuit semper antiqua consuetudine in Ecclesia observatum, scilicet, ut ab hæreticis baptizati, cum ad Catholicam Ecclesiam veniunt, per manus impositionem, id est, sacramentum confirmationis, recipiantur. Sic Eusebius P., epist. 3, circa finem: *Hæreticos omnes, quicumque Dei gratia convertuntur, et in Sanctæ Trinitatis nomina credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari præcipimus*; et subdit statim: *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, etc.*; ergo loquitur de hoc sacramento, de quo videntur etiam loqui Concil. Arelatense I, can. 8, illis verbis: *Manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum*. Et Arelatense II, c. 47, ibi: *Cum chrismate et manus impositione in Ecclesia recipi sufficit*. Unde Cyprian. supponens hanc Ecclesiæ consuetudinem, et sequens sententiam suam de rebaptizandis, ab hæreticis baptizatis, scribit in ep. 72, *eis parum esse manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ baptismum*; et epist. 47, videtur supponere, tanquam concessum ab omnibus, confirmationem non posse dari ab hæreticis, cum sic ad hominem argumentatur: *Si majestati nominis tribuunt, ut, qui in nomine Jesu Christi, ubicumque, et quomodocumque baptizantur, invocati et sanctificati judicentur, cur non ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum? Cur eadem ejusdem majestatis nominis non prævalet in manus impositione, quæ valuisse contendunt in baptismi sanctificatione?* Hinc etiam in Concilio Carthaginensi tempore Cypriani celebrato, Nemesianus Episcopus sic inquit: *Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant, et sic recipiantur, cum manifestum sit utroque sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica*; significat ergo hunc fuisse eo tempore sensum Catholicorum doctorum distinguendum inter baptismum et confirmationem, ut illum validum esse dicerent ab hæreticis datum, non vero hanc; quod etiam significatur in lib. de Eccles. dogm., cap. 52, ubi de baptizatis ab hæreticis, cum ad Ecclesiam redeunt, dicitur: *Purgati jam fidei virtute confirmantur manus impositione*. Sic etiam August., lib. 2 de Baptismo, cap. 7, et lib. 5

de Baptismo, cap. 23, dicit, baptizatos ab hæreticis, et ab hæresi redeutes, per manus impositionem fore recipiendos.

2. Ratio pro hac sententiâ. — Ratio autem reddi potest, quam Augustinus dictis locis tangit, quia hæretici sunt incapaces Spiritus Sancti, et ideo Spiritus Sanctus extra Ecclesiam Catholicam dari non potest; hoc autem sacramentum institutum est ad dandam Spiritus Sancti abundantiam et perfectionem; congruum ergo fuit, ut hujus sacramenti ministerium solis Episcopis Catholicis committeretur. Nec refert, quod character seu consecratio Episcopalis sit indelebilis. Nam etiam hoc admissum, intelligi recte potest, Christum instituisse, hujusmodi characterem non sufficere, nisi in ministro ab Ecclesia tolerato in sacramentorum administratione; sicut e contrario dicebamus characterem sacerdotalem non sufficere per se sine facultate Pontificis ad hujusmodi ministerium; illa autem adjuncta, posse sufficere; ita e contrario Episcopalem characterem sufficere, dummodo ab Ecclesia prohibitus, seu præcisus Episcopus non sit.

3. Propter hanc difficultatem nonnulli jurisperiti docuerunt, Episcopum hæreticum, seu ab Ecclesia præcisum, ita esse prohibitum ab hujus sacramenti administratione, ut, si illud tentet conferre, nihil efficiat. Ita refert Castro, lib. 2 de Justa hæreticor. punitione, cap. 21; Covarruvias, lib. 4 Variar. resolut., cap. 40, n. 8, ex Glossa in cap. Accedens, 50 dist., et in cap. Degradatio, de Pœnis, in 6, quæ generatim loquuntur de quocumque actu Ordinis facti a clerico degradato. Hæc tamen sententiâ erronea est, ac merito ab omnibus doctoribus est rejecta.

4. Dicendum est ergo, quemcumque verum Episcopum, quoad consecrationem, esse sufficientem ministrum hujus sacramenti, etiamsi hæreticus sit, excommunicatus, aut degradatus, ita ut non possit Ecclesia facere, quin sacramentum confirmationis ab eo datum sub debita forma, materia et intentione, validum sit, licet ipse peccet illud ministrando. Hanc conclusionem non inveno expresse definitam, et ideo non assero absolute esse de fide. Nam, licet Concil. Trident., sess. 7, canone 42 de de Sacramentis in genere, definiat, sacramentum datum a ministro existente in peccato mortali esse validum, nihil tamen de hæretico in genere definit, neque aliquid etiam specialiter de hoc sacramento colligitur; tamen conclusio probatur primo ex doctrina supra

tradita de sacramentis in genere; est enim eadem ratio de hoc, et de cæteris sacramentis. Unde omnia fere ibi adducta possunt facile ad hoc sacramentum applicari. Secundo ex Concilio Florent. et Tridentino, tum quia absolute dicunt, Episcopum esse ordinarium ministrum hujus sacramenti; sed Episcopus, quamvis sit hæreticus, aut quacumque alia ratione ab Ecclesia præcisus, est verus Episcopus; ergo est etiam verus et sufficiens minister; tum etiam quia Concilium Tridentinum dicit, ministrum sacramenti in peccato mortali existentem esse verum ministrum; ergo, etiam si sit in peccato hæresis; nam sicut non licet excipere peccatum adulterii, aut concubinatus, et aliud simile, ita nec peccatum hæresis, nam hæc definitiones Concil. doctrinales sunt, et universales.

5. Tertio, quia Ecclesia non potest auferre a sacerdote vel Episcopo Ordinem, seu consecrationem semel datam; ergo quamvis possit prohibere usum ejus, non tamen potest facere, quin actus solius Ordinis, ab hujusmodi ministro factus, validus sit. Cum ergo confirmatio tantum sit actus Ordinis Episcopalis, non potest ab Ecclesia impediri, quo minus sit verum sacramentum, etiamsi Episcopus sit hæreticus vel præcisus, dummodo cætera necessaria adhibeantur. Primum antecedens certissimum est, quia character sacerdotalis deleri non potest, ut definit Concil. Trident., sess. 7, can. 9, et sess. 23, cap. 4. Unde quando sacerdos deponitur, seu degradatur, revera non privatur ipso Ordine, quia non privatur caractere, sed privatur usu, vel etiam privilegiis sacerdotalibus. Quamvis autem inter Theologos in controversia positum sit, an Episcopalis consecratio imprimat characterem, vel physice augeat præexistentem, aut tantum moraliter, nihilominus sine controversia ab omnibus receptum est, consecrationem Episcopalem esse initerabilem, et indelebilem, ut in proprio loco latius dicturi sumus. Unde Concil. Trident., dicta sess. 23, cum cap. 24 dixisset, Ordinem imprimere characterem indelebilem, et ideo sacerdotes habere potestatem Ordinis, quam amittere non possunt, statim subdit, Episcopos pertinere ad hunc hierarchicum ordinem, et habere in eo gradu propriam quandam potestatem; sentit ergo etiam illam esse inamissibilem. Prima autem consequentia probatur, quia hujusmodi actus solum pendet a potestate Ordinis, ideo enim vocatur actus solius Ordinis, ut distinguatur ab illo, qui

essentialiter est etiam actus jurisdictionis, ut est sacramentale iudicium, et absolutio, quæ propterea nulla est, si potestas jurisdictionis desit, quia ab illa per se pendet; actus vero solius Ordinis, ut est consecratio, a sola potestate Ordinis per se pendet, et ideo illa potestate durante prohiberi quidem potest talis actus, ut licite fieri non possit, non tamen potest ab homine impediri, quominus, si fiat cum cæteris conditionibus requisitis, validus sit. Atque hac ratione consecratio Eucharistiæ facta a sacerdote hæretico, vel quacumque ratione prohibito, valida est. Similiter extrema unctio; item ordinatio facta ab Episcopo hæretico, seu præciso, quæ propterea non iteratur in Ecclesia, ut suis locis videbimus; ergo idem dicendum est de actu confirmandi. Nam constat, per se et intrinsece non esse actum jurisdictionis, cum non sit actus judicialis, sed solum consecratiuus, ut sic dicam.

6. Quarto, est hæc sententia August., lib. 2 contra litteras Petilian., cap. 404, ubi agens de sacramento chrismatis, quod in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, dicit, esse posse in hominibus pessimis, illudque in hoc comparat cum baptismo, et utrumque dicit esse posse inter hæreticos, et in parte Donati, et ibidem declarat, etiam in hoc sacramento distinguendum esse sacramentum ab effectu, ut intelligamus, quamvis contingat Spiritum Sanctum non dari ab hæreticis, non propterea negari debere ab eis dari sacramentum. Unde ex hoc loco evidenter constat, totam doctrinam supra datam et explicatam de malis ministris sacramentorum in genere, ex sententia August. eodem modo procedere de ministro hujus sacramenti. Unde, lib. 5 de Baptismo, cap. 20, ait: *Sicut sanctificatur oleum ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, ita etiam sanctificatur in hæreticorum altari; quia nullis hominum falsitatibus impeditur Deus, quominus suis sacramentis adesse dignetur.* Unde concludit, baptismum, Eucharistiæ, et manus impositionem, valida esse, etiam per homicidas; constat autem ex omnibus libris Augustini contra Donat. eandem esse rationem de hæreticis, quæ est de homicidis et aliis hujusmodi peccatoribus.

7. Ultimo, si congruentiis utendum est, omnes supra adductæ de sacramentis in genere habent locum, ne scilicet, dubia et incerta sit confirmationis veritas, si ab interna hominis sanctitate, aut fide pendeat, et alia simi-

les. Si vero ratio a priori petatur, recurrendum est ad institutionem, et ad potestatem Ordinis indelebilem, ut jam tactum est. Unde sic potest ratio concludi, nam juxta doctrinam Concilii Florentini sacramentum tribus perficitur, materia, forma, et ministro. Unde fieri non potest, ut hæc rite adhibeantur, et sacramentum non perficiatur; ergo si in præsentis sacramento adhibetur materia et forma a vero Episcopo, efficietur sacramentum, quantumvis Episcopus sit pravus, vel hæreticus, aut præcisus.

8. *Ad rationem dubitandi.* — *Innocentius I. — Concilium Arelat.* — Ad rationem dubitandi in principio positam cogitare aliquis posset, potuisse aliquos ex prædictis Patribus circa hoc errare, quia olim hæc veritas non erat adeo declarata, et intellecta, sicut nunc est. Verumtamen, licet de D. Cypriano et aliis, qui de sacramento baptismi ita senserunt, id dici posset, tamen de D. Augustino id non est verisimile; et multo minus de Pontificibus citatis, præsertim cum ibi doceant Ecclesiam de re gravissima, et ad bonos mores maxime pertinente, et referant Ecclesiæ consuetudinem, in qua nunquam esse potuit gravissimus et intolerabilis error, qualis fuisset, si sacramentum hoc a ministro hæretico rite celebratum in Catholica Ecclesia iteraretur. Dicendum ergo est, Patres in illis locis non agere de hoc sacramento, sed de manus impositione reconciliativa, quam esse distinctam ab hoc sacramento confirmationis supra ostendimus disput. 34, sect. 4, et est satis expressum in Concil. Hispalensi II, c. 7, ubi dicitur, non licere Chorepiscopis, vel conversis ex hæresi manus imponere, ut Spiritum Sanctum recipiant, vel baptizatorum frontes chrismate signare, quod sumptum est ex Leone Papa, ep. 88; atque idem colligi potest ex Felice III, in epist. Decretali, cap. 3 et 4, et sequent., et ex Clemente, lib. 2 Constit., cap. 45, et lib. 8, cap. 42, quibus locis fit mentio manus impositionis purgativæ, seu reconciliativæ, quæ erat per modum cujusdam publicæ pœnitentiæ et absolutionis, de qua etiam loquitur Innocentius I, epist. 22, c. 4, cum dicit, clericos conversos ex hæresi solere admitti ad communionem laicam per manus impositionem, et cap. 5, declarat id fieri per pœnitentiam, et addit interdum recipi in suo gradu et Ordine ad clericalem communionem; quomodo etiam dicitur in Concil. Arelat., cap. 42, clericos conversos ex hæresi, si magnum fidei suæ, et perfectæ

conversionis testimonium præbuerint, posse ad suum gradum et Ordinem recipi per manus impositionem; non erat ergo illa manus impositio, confirmatio. Quomodo enim verisimile est, aut eos fuisse denuo confirmatos, qui in sacerdotali Ordine recipiebantur, aut ordinationem hæreticorum, ut ratam, et validam receptam esse, non autem confirmationem? Quod si dicas, non ibi esse sermonem de ordinatis ab hæreticis, sed de clericis, qui cum in Ecclesia Catholica fuerint ordinati, in hæresim labuntur, et postea convertuntur. Sed imprimis hoc gratis dictum est, quia illa decreta absolute et simpliciter loquuntur; deinde eadem ratione dicam in aliis decretis non esse sermonem de his, qui rite confirmati sunt ab hæreticis, ut de Bonosiensis loco supra citato dicebamus, et maxime credi posset, quando alicubi dicitur, adjungendam esse huic manus impositioni reconciliativæ unctionem chrismatis, ut est in Conc. Arelatensi II, cap. 47, et apud Theodoret., lib. 3 Hæret. fabular., capite de Novato, ubi refert, Patres ordinasse, ut hi, qui a Novatiana hæresi convertebantur, per unctionem chrismatis reciperentur, quia Novatiani illis quos baptizabant, sacrum chrisma non præbebant; sic ergo in universum credi potest, quotiescumque hæretici per unctionem chrismatis recipiebantur, id factum esse solum cum his, qui in hæresi uncti non fuerant, nam alioquin constat, non semper fuisse adhibitam unctionem chrismatis, cum manus impositione reconciliativa, ut patet ex aliis decretis supra citatis. Imo neque quando adjungebatur chrisma, erat semper sacramentum confirmationis, sed aliqua cæremonialis unctio, cujus signum apertum est, quia fiebat etiam a simplici presbytero, ut patet ex Concilio Araus. I, cap. 2.

9. Denique optimum argumentum est, quod hæc manus impositio, per quam conversi ex hæresi recipiebantur, non his tantum adhibebatur, qui ab hæreticis baptizati vel confirmati fuerant, sed in universum omnibus, etiam si ante lapsum in hæresin essent a Catholico baptizati et confirmati; ergo non poterat esse sacramentum confirmationis, alioqui dicendum esset, non solum non esse validam confirmationem datam ab hæretico, sed etiam confirmationem rite acceptam in Ecclesia Catholica per hæresin amitti, et ideo debere postea iterari, quod est plane hæreticum. Antecedens vero constat ex generalibus locutionibus dictorum decretorum, et ex doc-

trina Augustini, dicto lib. 5 de Baptismo, cap. 23, ubi rationem hujus cæremoniæ reddens, inquit: *Si non adhiberetur venientibus ab hæresi manus impositio, quasi extra omnem culpam esse dijudicarentur; propter charitatis ergo copulationem manus imponuntur correctis ab hæresi.* Hæc autem ratio generalis est, et ideo idem Augustinus, lib. 3 de Baptismo, cap. 46 et 48, significat, hanc manus impositionem pertinere ad potestatem ligandi atque solvendi. Unde Cyp., epist. 40, illam conjungit cum exomologesi; et ep. 74, dicit hujusmodi manum imponi in pœnitentiam, quod etiam dicit Crescens Episcopus Concil. Carthag. sub Cyprian.; erat ergo illa manus impositio, vel ipsamet sacramentalis absolutio, si secreta et interiori foro fiebat, vel publica et solemniter pœnitentia, et reconciliatio facta etiam in exteriori foro Ecclesiæ, et de hac frequentius est sermo in prædictis decretis.

10. Ex his ergo satis responsum est in communi ad rationem dubitandi propositam; sigillatim vero ad singula testimonia respondendum est. Ad Innocentium respondetur ibi loqui de Ordine dato ab hæretico, quem dicit non esse ratum, non quoad substantiam, sed quoad usum, honorem et dignitatem, et privilegia clericalia, ut latius dicendum est in materia de Ordine, et constat ex multis, quæ tradit Gratianus, 4, quæst. 4, et ex verbis ipsiusmet Innocentii, scilicet: *Non videtur clericis eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuscumque suscipi debere dignitate, et postea subdit rationem supra traditam.* Unde si quis contendat, illam exclusivam, qua dicitur solum baptismum esse ratum apud hæreticos, excludere omnia alia sacramenta, etiam confirmationem, responderi imprimis potest dictionem exclusivam non excludere concomitantia, confirmationem autem comitari baptismum, ut perfectionem ejus. Deinde dicitur, solum baptismum esse ita concessum hæreticis, ut ab eis et valide, et licite ministrari possit, quia est ad salutem simpliciter necessarius; et hoc modo dici etiam potest, solum baptismum hæreticis ratum esse permitti, nam ad aliorum sacramentorum usum simpliciter suspensi sunt, ita ut saltem non possint eis licite uti, quamdiu sunt hæretici. Quod vero ait Innocentius, hæreticos non posse dare Spiritus Sancti plenitudinem, intelligendum est, juxta supra dicta quæst. 64, dictum esse propter effectum sacramenti, quem non recipit is, qui a ministro hæretico

sacramentum recipit voluntarie, et sine sufficiente necessitate; et ideo, cum hujusmodi hæretici ad Ecclesiam veniunt, per manus impositionem reconciliativam suscipiuntur, sub imagine poenitentiae, et invocatione Spiritus Sancti, ut ibidem ait Innocent. Et eodem sensu loquitur Leo Papa locis in princ. citatis. Quamquam Lindanus, lib. 4 Panopliæ, c. 27, contendat, Leonem ibi loqui de sacramento confirmationis, præsertim in posteriori loco, quod revera non est necessarium, quia Leo in eodem sensu loquitur, quo August. contra Novat. Sicut enim per baptismum, et alia sacramenta datur gratia, ita etiam datur Spiritus Sanctus; et hoc modo aiunt Patres prædicti, quamvis hæreticorum baptisma sit validum, tamen non dare illis Spiritum Sanctum; ideo cum convertuntur, eis manus imponi, ut Spiritum Sanctum recipiant, non eo modo, quo datur per sacramentum confirmationis, sed eo modo, quo per baptismum datur. Si vero quis posteriorem locum Leonis velit de propria confirmatione intelligere, oportet, ut limitationem adhibeat de illis hæreticis, qui non habent veros Episcopos, a quibus rite confirmantur. Et eodem modo exponendum est testimonium superius adductum ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Ad confirmationem satis jam explicatum est, qualis fuerit illa manus impositio, per quam hæretici in Ecclesia recipiebantur; et quoniam cætera testimonia, ibi adducta, ex dictis facillima sunt, ad Eusebium Papam respondetur, in priori parte loqui Eusebium de manus impositione reconciliativa, in posteriori vero de confirmativa; neque hoc est mirum, quia utraque significatio est usitata, et illa sunt diversa capita, in quibus Pontifex ad diversa interrogata respondet; atque ideo fortasse priorem vocavit absolute manus impositionem, posteriorem vero vocat, manus impositionis sacramentum.

11. Ad rationem respondetur, in primis solum probare, in hæreticis non habere locum effectum hujus sacramenti; deinde dicitur, potuisse quidem Christum Dominum instituere ministrum hujus sacramenti, eo modo, qui ibi fingitur; ex usu tamen et traditione Ecclesiæ, constat, non ita instituisse, et ideo non est simile exemplum, quod ibi adducitur, nam simplex sacerdos non habet a Christo ex vi sui characteris potestatem ministrandi hoc sacramentum, sed solum per delegationem Pontificis. Episcopus vero immediate a Christo habet potestatem ministrandi hoc sa-

cramentum ex vi characteris indelebilis, et ideo, quoad substantiam sacramenti, non pendet ab homine.

## ARTICULUS XII.

Utrum ritus hujus sacramenti sit conveniens (4, a. 7, quæst. 3, art. 3, quæst. 2, ad 3, et in expositione litteræ).

1. Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod ritus hujus sacramenti non sit conveniens. Sacramentum enim baptismi est majoris necessitatis, quam hoc sacramentum, ut supra dictum est (art. 3 hujus quæst., ad 3, et q. 65, art. 4). Sed baptismum deputantur certa tempora, scilicet Pascha et Pentecostes. Ergo etiam huic sacramento aliquod certum tempus debet præfigi.

2. Præterea, sicut hoc sacramentum requirit devotionem et dantis et recipientis, ita etiam et sacramentum baptismi. Sed in hoc sacramento baptismi non requiritur, quod a jejuni sumatur vel conferatur. Ergo videtur inconvenienter statutum in Concil. Aurelianensi (cap. 31), ut jejuni ad confirmationem veniant, et in Concil. Meldens. (cap. 6), ut Episcopi non nisi jejuni, per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant.

3. Præterea, chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus Sancti, ut supra dictum est (art. 2). Sed plenitudo Spiritus Sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, ut habetur Act. 2. Magis ergo debet chrisma confici et benedici in festo Pentecostes, quam in cena Domini.

Sed contra est usus Ecclesiæ, quæ a Spiritu Sancto gubernatur.

Respondeo dicendum, quod Dominus, Matth. 18, fidelibus suis promisit, dicens: Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et ideo firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi, et propter hoc certum esse debet, ritus, quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis, esse convenientes.

Ad 1 ergo dicendum, quod sicut Melchisedes Papa dicit (in epist. ad Hispan. Episc., ante med., tom. 1 Concil., et habetur de Consecr., dist. 5, c. De his), ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta (scilicet baptismi et confirmationis), ut ab invicem (nisi morte præveniente) nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non possit. Et ideo eadem tempora sunt præfixa baptismi solemniter celebrando et huic sacramento. Sed quia hoc sa-

cramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentis, ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differre.

Ad 2, dicendum, quod ab illa prohibitione excipiuntur infirmi et morte periclitantes, sicut in statuto Meldensis Concilii legitur (ut patet de Consecr., dist. 5, cap. Ut Episc.). Et ideo propter multitudinem fidelium et propter pericula imminencia, sustinetur, ut hoc sacramentum (quod non nisi ab Episcopis dari potest) etiam a non jejunis detur vel accipiatur, quia unus Episcopus, præcipue in magna diocesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut a jejunis detur et accipiatur.

Ad 3, dicendum, quod sicut ex Concil. Martini Papæ habetur (de Consecr., dist. 4, cap. Omni tempore), omni tempore licebat chrisma conficere. Sed, quia solemnitas baptismi, ad quem requiritur usus chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur, congrue ordinatum est, ut per bividuum ante ab Episcopo chrisma benedicatur, ut possit per diocesan destinari; dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistie sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut supra dictum est (quæst. 65, art. 3).

## DISPUTATIO XXXVII,

## ET SEXTA HUIUS SACRAMENTI.

## DE CÆREMONIIS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Duo possunt in præsentem considerari. Unum est, confectio chrismatis; aliud est, sacramentalis usus ipsius chrismatis, in quo sacramentum ipsum consistit; et utrumque fit ab Ecclesia speciali solemnitate ac ritu, qui breviter erit a nobis explicandus.

## SECTIO I.

Utrum confectio chrismatis conveniente ritu fiat ab Ecclesia.

1. Sex cæremoniæ expendantur. — Prima, benedictio balsami. — Omissis hæreticis, qui sicut cæteras, ita et has Ecclesiæ cæremonias damnant, nihil tamen speciale de hoc sacramento afferrunt, præter ea, quæ statim annotabimus, ex generali ratione, quam D. Thomas

hic attigit, supponimus, Ecclesiam non errare, sed convenienter agere in hujusmodi cæremoniis, quia a Christi Domini spiritu et sapientia gubernatur. Ut vero earum rationem reddamus, ad quinque vel sex cæremonias revocari omnes possunt, ex quibus aliquæ antecedunt, aliæ subsequuntur, aliæ vero committantur, seu extrinsecus circumstant ipsius chrismatis confectionem. Prima ergo cæremonia est, benedictio balsami, quæ ab Episcopo partim orationibus, et deprecationibus, partim signo, et benedictione crucis perficitur. De qua nihil dicendum occurrit præter superius dicta; nullam enim potest novam pati calumniam, quia nullum potest esse aptius signum ad cujusvis rei sanctificationem, quam verbum Dei, oratio, et crucis signum, ut in superioribus late ostensum est.

2. Secunda, benedictio olei chrismalis. — Secunda cæremonia est, benedictio olei chrismalis, quæ eodem verbo et oratione ac signo crucis perficitur; fit autem per modum exorcismi, quod nullam habet novam difficultatem, positis his quæ supra de exorcismis in genere dicta sunt; solum dubitari potest de quadam cæremonia, quæ hujusmodi benedictionem antecedit, scilicet, quod Pontifex et duodecim sacerdotes illi assistentes habent in modum crucis super os ampullæ habentis oleum chrimale, quæ solum ad significationem quandam introducta est, et ideo nullam habet superstitionem; Christus enim Joan. 20, ut Apostolis Spiritum Sanctum daret, in eos insufflavit; quia ergo chrimale oleum ad dandam Spiritus Sancti plenitudinem sanctificatur, ideo ad hoc significandum Ecclesia prædictam insufflationem induxit, quæ cæremonia antiquissima est, ut constat ex Isidoro, Ruperto et aliis, qui de officiis Ecclesiasticis scripserunt, et ex ordine Romano, ac libro Pontificali.

3. Tertia mistio balsami et olei. — Tertia cæremonia est mistio balsami et olei, quam facit Episcopus immittendo balsamum in ampullam chrismalis olei, proferens illa verba: Hæc commistio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio et custodia salutis in sæcula sæculorum; qua actione et verbis substantialis confectio chrismatis perficitur; nam chrisma utriusque liquoris mistionem et benedictionem essentialiter requirit. Et quamvis inter agendam primam cæremoniam Pontifex parum olei misceat cum balsamo in patena, vel alio vasculo distincto ab ampulla chrismatis, tamen ibi revera non perficitur